

Franckesche Stiftungen zu Halle

Considerationes Modestae & pacificae Controversiarum De Justificatione, Purgatorio, Invocatione Sanctorum, Christi mediatore, & Euchariastia

Forbes, William

Helmstadii, A. MDCCIV.

VD18 11391456

Caput I. An purgatorium Romanensium firmum habeat in sacris literis
fundamentum, nec ne?

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-219598](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-219598)

tum aliquod, sive dignitatem aliquam operum bonorum, (quomodo tantum pia vetustas loqui amavit) quae tota ex gratia & dignatione divina pendeat, sed *a merito de condigno proprie & exacte sic dicto*, i. e. a nupero & novitio quorundam Scholasticorum commento asserendo ac defendendo, *abstineatur*. Multos enim nodos, ut jam alia, eoque multo graviora argumenta non allegemus, qui novas & falsas sententias moralicus defendendas suscipiunt, ipsi sibi inducunt, quos sine aperta contradictione dissolvere non possunt. Sed hic hujus libri, immo universae de justificatione controversiae, quinque libris a Bellarm. pertractatae, & totidem a nobis optima fide, pro modulo lucis & gratiae concessae, examinatae finis esto.

Benedictus Deus, qui dat lasso virtutem, & quibus non est robur, vires multiplicat. Esa. 40. 29.



(Pag. 209.)

Consideratio

Controversiae

De

Purgatorio.

CAPUT I.

*An purgatorium Romanensium firmum
habeat in sacris literis fundamen-
tum, nec ne?*

Omis-

Missis in praesentia iis, quae de circumstantiis purgatorii, videlicet de loco, tempore, poenarum genere, suffragiis, & hujus generis aliis, minus certa apud ipsos Romanenses habentur, & de quibus multum inter se variant, (videatur Bellarm. lib. 2. de Purgatorio per totum) de iis tamen, quae apud eos certa & de fide habentur, dicamus. Quod locus sit aliquis, in quo tanquam in carcere post hanc vitam, eorum fidelium animae, quae alicujus temporalis poenae peccatis mortalibus debitae reatu adhuc obstrictae, (Pag. 210.) vel cum aliquibus peccatis venialibus migraverunt, secundum iustitiae divinae rationem gravissime cruciantur, quoad penitus ab huiusmodi peccatis purgatae in coelum ingredi valeant, quo nihil intrabit co inquinatum, (vide Bellarm. de Purgat. lib. 1. c. 1.) * *dogma esse fidei*, communiter asserunt hodie Romanenses, & creditu tam necessarium, (ut audacissime affirmat Bellarm. lib. 1 de Purgat. cap. 15.) ut, qui non credit purgatorium esse, ad illud nunquam sit perventurus, sed in gehenna sempiterno incendio cruciandus. Idem etiam odiosissime repetit in Apolog. Torti contra seren. M. Brit. R. J. Vide episcopi eliensis Respons. ad illam apolog. cap. 8. pag. 209. Immo Panigorola insaniens non dubitavit negare Deum esse, si purgatorium non sit, Lect. de purg. Taurini habita. Vide Synopsin purior,

* Dogma esse fidei] Vide p. 239. 265.

rior. theol. disp 39. de Purgat. thesi 4. Hanc tamen sententiam de Purgat. utut locum forte habere possit *inter opiniones scholae*, quae non sine formidine contrarii sunt, ut loquitur doctissimus episc. elienensis l. c. pag. 208. inter fidei tamen articulos non posse, immo nec dogma quidem ecclesiasticum haberi posse, recte judicant Protestantes.

Primo enim dogma hoc *nullum habet in sacris literis fundamentum*, neque ex vero, certo, & perspicuo scripturae loco demonstrari potest; cum tamen *in his, quae aperte in scriptura posita sunt, inveniantur illa omnia, quae continent fidem moresque vivendi*, ut ait August. lib. 2. de Doctr. christ. cap. 9.

Jaçtat quidem Bellarm. lib. 1. de Purg. cap. 15. *ex viginti scripturae locis purgatorium patere, atque etiam hoc se probatum dedisse*; sed quam misere illa scripturae loca detorserit, luculentissime demonstrarunt plurimi doctissimi Protestantes aliiq; viri moderatissimi ex ipsis locorum illorum circumstantiis, ex Patribus, quos & interpretat, & ex aliorum Romanensium in eadem loca commentariis. Lector diligens eos adeat, qui hanc controversiam copiosius contra Romanenses tractarunt. Idem etiam nemini non clarissime apparere potest ex plurimis *frigidissimis & timidissimis* ipsius Bellarmini dictis in omnibus fere praedictis locis explicandis & urgendis: mirum enim est, quantum saepe frigeat, in hac disputationis parte ad rem calidissimam.

pro

pro
nes
sen
cur
div
acc
ista
spo
stan
scri
in n
te,
era
ter
12.
pec
inq
nia
cer
dol
um
ter
pro
ha
§.
scil
nir
aur
&
gur
ter

probendam suscepta. Pag. 211.) Sed cogitationes mortalium non possunt non esse timidae, & sententiae incertae, (ut verba sapientis, Sap. 9. 14. cum quadam variatione hic usurpem) quando divinitus non diriguntur, per sapientiam e caelo acceptam. Quam incerta enim & lubrica sunt ista lib. 1. cap. 3. sect. *Ad quintum dico*, dum respondere conatur ad id, quod objiciunt Protestantes, eos, pro quibus ex Judae machabaei praescripto oratum oblatumque fuit, 2. Machab. 12. 46. in mortali peccato decessisse, ut qui de anathemate, h. e. de rebus, quae idolis Jamniae sacratae erant, suffurati essent. v. 40. contra legem Deuter. 13. 17. & comminationem, quae est Jos. 7. 12. cum Romanenses pro veniali tantummodo peccato orari & offerri debere doceant: *Dico*, inquit Bellarminus, peccatum illorum aut fuisse veniale, quia forte ignorabant legis prohibitionem, aut certe, si mortale fuit, in mortis articulo milites illos doluisse de peccato, aut saltem Judam machabaeum ita existimasse. Sed quam dubie & haesitante haec a Bellarmino dicuntur! Certe sacrificium pro tanti criminis reis, de quorum poenitentia haud certo constaret, fieri non debuit. Ibidem §. *Ad Septimum: Praeter hunc locum* (Machab. scilicet) sunt, inquit, alia quaedam, (testimonia nimirum) quae solum probabiliter suadent. Haec autem sunt omnino novem, quae post subjungit & urget, ut ibidem videre est: quae non cogunt, seu solum probabiliter suadent, & quae fere omnia varie exponi, variosque sensus habere

bere possunt, diserte confitente ipso Bellarmi.
no. Ex loco Matth. 12. 32. ubi dicit Dominus,
esse quoddam peccatum, quod non remittitur ne-
que in hoc seculo, neque in futuro, cap. 4. infert,
quaedam peccata remitti in futuro seculo, scilicet in
purgatorio. Et sect. Respondeo, inquit: non sequi
secundum regulas dalecticorum id, quod infert ex
verbis Domini, sed tamen sequi secundum regulam
prudentiae.

De argumento palmario, quod fere omnes
Romanenses urgent & premunt ex 1. Cor. 3. 11.
& seq. confiteretur idem Bellarm. cap. 5. locum
istum esse unum ex difficillimis totius scripturae;
quod etiam ex Augustino confirmat. Quomodo
igitur ex eo purgatorii dogma perspicue de-
monstrari potest? Ut videas, quam misere se ip-
se fatiget, immo torqueat, ut purgatorium inde
non eliciat, sed extorqueat, lege, obsecro, aequè
lector, totum illud cap. 5. atque intueri illud,
(ne inobservatum abeat) quod haud procul
a fine Bellarm. respondens ad objectionem gra-
vissimam suae hujus loci explicationi oppositam,
(pag. 212) absurdum scil. esse, apostolum in ea-
dem sententia varie accipere nomen ignis, se-
mel pro judicio, & semel pro vero igne purga-
torio, §. Respondeo primo, inquit: Respondeo, nos
cogi ab ipso textu ad aquivocationem non unam, sed
duas admittendas. Male Bellarminus affirmat,
se ab ipso textu cogi; ipse enim tantum cogit
textum aequivoco loqui, ad sensum suum in-
congruum (ut loquitur Hieron. ad Paulino) ap-
tand.

tando scripturae testimonium, & ad voluntatem suam scripturam trahendo repugnantem, ut paulo post dicemus. De loco 1. Cor. 15. 29. quem urget cap. 6. *Quid faciunt, qui baptizantur pro mortuis?* Sic loquitur Bellarm. *Hic locus aperte convincit, quod volumus, si bene intelligatur.* Cautē admodum dictum, si bene, id est, ad mentem Bellarmini intelligatur. Longe enim aliter Patres locum hunc intellexerunt, ut ibidem videre est. Vnde continenter subdit Bellarminus: *Sex invenio hujus loci expositiones.* Quod ad locum Matth. 5. 26. & Luc. 12. 59. *Amen dico tibi, non exibis inde, donec reddas novissimum quadrantem,* attinet, audiatur Bellarm. c. 7. §. *De sexto,* ubi ait: *De sexto conveniunt etiam fere omnes, &c.* Et paulo post: *Augustinus putat, hic agi de pœnis aeternis gehennae.* In urgendo loco Matth. 5. 22. *Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio, &c.* cap. 8. §. *Respondeo primo,* inquit: *Secundo dico, saltem ex hoc loco posse deduci pœnas aliquas post hanc vitam purgatorias esse.* Ibidem de loco Phil. 2. 10. *Ut in nomine Jesu omne genu se flectat caelestium, ac terrestrium, & subterraneorum, sicut.* *Viuntur nostri hoc loco; sed tamen non videtur multum urgere.* Vides igitur, lector, quam inaniter gloriatur Bellarm. locis supra citatis, purgatorium etiam ex viginti scripturae locis probari posse, atque etiam demonstrasse se, illud ad fidei dogmata ita perspicue pertinere, ut quodlibet aliud certissimum dogma fidei.

Sed priusquam hinc abeamus, libet pauca ex Guil. Estio de loco illo celebratissimo, & in quo quasi fortunae purgatorii positaе plerisque Romanensibus videntur, huc adscribere, nempe ex Comm. in 1. Cor. 3. 13. *Rursum alii*, inquit, Belarminum praecipue intelligens, cuius sententiam hic tacito illius nomine refellit, *existimant, apostolum non una significatione ignem accipere.* (Pag. 213.) *Nam primo quidem loco conflagrationis ignem intelligunt; secundo ignem interpretantur severum & iustum Dei iudicium, quo probantur & examinantur omnia hominum opera; tertio denique loco, cum dicitur, ipsum hominem salvum fore, sic tamen, quasi per ignem, intelligi volunt ignem purgatorium animarum post hanc vitam. Verum aliis absurdum haud immerito videtur, apostolum in uno contextu paucorum verborum tam varie loqui de igne: nec facile quisquam sibi persuaserit, tertio loco purgatorium ignem animarum significari, si primo & secundo loco diversus ignis significatus fuerit. Quare ut in hac obscuritate, Pauli mentem attingamus, in primis apparet, ignem uno modo in hoc contextu accipi debere. Affirmat igitur, locum hunc totum de igne conflagrationis in die extremi iudicii intelligendum esse; atque hic multa veterum citat testimonia de igne novissimi diei, ut Basilii, Hilarii, Ambrosii, Lactantii, Eucherii Lugdunensis, Alcuini, Haymonis, & Lombardi. Vide auctorem ipsum late hac de re differentem. Movet tamen in fine explicationis hujus loci inter*

inter alias quaestiones & hanc numero tertiam, p. 223. An, & quomodo probetur ex hoc loco purgatorium animarum post hanc vitam? Si enim, inquit, opus unius cuiusque probabit ignis, atque ea probatio demum futura est in die Domini, & ad eundem diem referendum est illud, Salvus erit quasi per ignem, non modo non videtur ex hoc loco construi purgatorium animarum statim a morte corporum, verum etiam destrui, cum tota purgatio reservetur extremo iudicio. Atqui purgatorium ex hac scriptura latini Patres in Concilio florentino, licet Graecis dissentientibus, statuendum putaverunt. Auctor, negregales suos irritaret, & nimio plus offenderet, paucis respondet, purgatorium animarum ex hoc etiam Pauli loco bene & solide colligi: sed quantum frigide id praestet, lector judiciose, ipse tuis oculis vide. Ludit enim potius, quam serio agit in ista sententia hinc deducenda. Movet etiam immediate post, & quidem pag. 224. quaestionem: Cur apostolus, omissa mentione purificationis animarum, quae fit medio tempore, loquatur tamen de igne extremi iudicii? Ejusdem responsionem ad quaestionem hanc expende, lector, & clarissime videbis, locum hunc totum nulla ratione ad purgatorium animarum, sed ad ignem extremi diei, omnium opera probaturum, referendum esse. Licet longe aliter vir hic doctissimus hunc locum intelligendum censuerit in 4. Sent. dist. 21. §. 1. & 4. p. 298. 304. scilicet de purificatione animarum post mortem.

Pag. 214.) Audiatur etiam idem Esius de
X 3 sensu

sensu loci 1. Cor. 15. 29. *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis?* in comment. in istum locum, ubi sic refellit expositionem illam, quam Bellarminus cap. 6. veram & germanam, immo verissimam esse affirmat: *Sunt, inquit, alii quidam recentiores, qui baptizari interpretantur affligi, quomodo sumitur Luc. 12. 50. proinde sensum hunc faciunt:* Frustra quidam pro mortuis juvandis orando, jejunando, & alia quaedam dura subeundo sese fatigant & affligunt, si mortui non resurgunt. *Verum certe non multum probabilitatis habere videtur istiusmodi commentarius;* primum, quod illa baptismi significatio valde figurata sit ac rara, nec ab alio quam a Christo usurpata. *Quod enim ad verba praeursoris attinet, loquentis de baptismo ignis, Matth. 3. 11. melius ea referuntur ad rem gestam in die pentecostes.* Deinde refellitur ille commentarius, quia baptismus iis duobus locis, qui allegantur ex Luc. 12. 50. & Marc. 10. 38. 39. non significat afflictionem seu passionem quamlibet, sed vehementem, eamque forinsecus illatam aut irruentem, ut sunt in scripturis, persecutionum ac tribulationum, quibus qui merguntur & obruuntur, baptizari videantur. *Hoc autem ad voluntarias afflictiones, ut sunt orationes, eleemosynae & jejunia, quae pro mortuis adjuvandis suscipiuntur, accommodari non potest.* Quasi si Paulus omnino significare voluisset, non dixisset, qui baptizantur, tanquam ab aliis, sed qui baptizant se ipsos pro mortuis. *Quomodo secundum scripturam, qui voluntaria subeunt jejunia, seipsos aut animas suas affligere dicuntur,*

ut

ut *Levit. 16. 29. & 23. 27. & alibi* Haecille. Vide etiam Cornelium a Lapide in hunc locum, qui Chrysostomi expositionem omnium simplicissimam esse judicat. Adi etiam theses Vossii de Resurrect. carnis thes. 18. & de utroque loco vide notas J. Scaligeri in fine Novi Test. graeci excusi Londini, anno 1628.

Quam incerte & haesitanter episcopus rofensis hac de re contra Lutherum art. 17. qui est, *Purgatorium non potest probari ex S. scriptura, quae sit in canone, differit!* Primum, inquit, dicimus, quod tamen ex scripturis non possit probari purgatorium, veritas ejus nihilominus Christianis cunctis credenda est. (Pag. 215.) Deinde pergit, sibi contradicens: *Quoniam scriptura S. conclave quoddam est omnium veritatum, quae Christianis scitu necessariae sunt, (nota hoc obiter, lector, pro scripturarum perfectione) nemini potest ambiguum esse, quin purgatorii veritas in ipsa contineatur, & quin ex ipsa quoque probari possit.* Et paulo infra: *Quaquam fortassis unam aliquam scripturam, quae protervientem adigat, uti rem, velit, nolit, confiteatur, in promptu non sit adducere, potest esse nihilominus illic aliqua, tametsi diligentissimos hactenus inquisitores ipsa latuerit.*

Joachimus Perionius in Topicis theologicis: *Solus, inquit, locus Machabaeorum, de promi potest ex scripturis divinis, qui aperte doceat, preces & sacrificia prodesse mortuis.* Hosce autem Machabaeorum libros (vide p. 216.) canonicos non esse concedit, ut alios prope innumerostes si-

lento praetereamus, ipse etiam Gregor. magnus Moral. lib. 19. cap. 17. *Non inordinate agimus, si ex libris, licet non canonicis, sed tamen ad aedificationem Ecclesiae editis, testimonium proferamus.* Et postea adducit locum ex 2. Machab. Vnde Julius Caesar Bulengerus, referente Chamiero de Purgat. tom. 3. lib. 26. cap. 2. n. 3, cum Mor-naeus hoc Perionii objiceret apophthegma, nullum se scire scripturae locum ad purgatorium probandum; adjecit, difficile esse dari aliquem textum expressum & clarum, seque eam ob causam haesisse locis iis, quos Patres purgatorio applicarint, ut ostenderet, non esse hanc rem novam, sed fuisse in primitiva ecclesia: Nam si rationibus, inquit, agatur de horum locorum interpretatione, annus abiret totus, & tandem res maneret indefinita.

Petrus a Soto, qui Tridenti tempore Concilii obiit, in Assertionem catholicam pag. 83. *Non est, inquit, cur mirari debeamus, quod nec prophetica nec apostolica scripta aliquid certi & perspicui de purgatorio tradiderint, cum certum sit, multa sine scripturis esse tradita.* Et pag. 84. *Illis scripturae locis (quae scilicet pro purgatorio citari solent) fatemur, non apte purgatorium probari; sed quod ex certa fidei regula credimus, id auctoritatibus illis aduertimus judicari.* Item pag. 85. *Nec eorum, qui purgatorium negant, argumenta efficacia sunt, sumpta ex eo maxime, quod in scriptura nihil perspicue de eo traditur; cum jam constet, multa non scripta fuisse eorum, quae credenda sunt, sed auctoritas Ecclesiae satis est.* Pag. 216.) Idem in Sacerdotum

tum instructione lect. 1. de Purgat. ingenue confitetur, minus apertas, minus efficaces esse, & minus probare auctoritates scripturae, quae ad probandum purgatorium a suis doctoribus adseruntur: illis itaque non esse utendum. Item, non esse necessarium, nec opportunum, inniti loco Matth. 12. 32. Non remittetur, neque in hoc seculo, neque in futuro: quia responderi potest, dictum esse secundum quandam exaggerationem & hyperbolen. Neque etiam ex illo 1. Cor. 3. 13. Sic tamen, quasi per ignem, probari, esse aliquod tale purgatorium post mortem; quia talis ignis debet intelligi, ut ambo per eum transseant, tam qui aurum, quam qui fœnum aedificant. Quae ratio, inquit idem, efficacissime arguit, ibi non probari purgatorium post mortem, aut si cui videtur, nihilominus probari posse, certe propter ambiguitatem, sensus minus est evidens. Quare nec illi innitendum. Locus autem ex 2. Machab. 12. 46. de igne aliquo purgatorio aut loco, in quo animae ustulantur, nihil habet, & ita potest explicari, ut ex eo suffragia pro mortuis, saltem ex facto, inde probari non possint. Sed praeterea de libri illius auctoritate, an scilicet canonicus sit, dubium, fuisse apud antiquos, quod tempore Augustini nondum satis explicatum videbatur, ait idem Soto, asseritque, dogma de purgatorio certius & evidentius esse, quam sit libri illius auctoritas; nec esse evidentiora minus evidentibus confirmanda. Vide Synopsin purior. theol. loco supra citato. De auctoritate 2. Machab. adi sis, inter alios innumeros, viri longe doctissimi Petri Picherelli

judicium in Appendice de Missa pag. 34. *Quo ex loco*, (2. Machab. cap. 2. 29.) inquit, *autor ipse epitomes satis indicat, quantum ipsi veritatis & sinceræ exactæque diligentiae sit tribuendum, qui eam non a se, sed ab autore fassone velit requiri.* Et in dissertat. de Missa, pag. 142. de loco cap. 12. vers. 43. in omnibus bibliis latinis corrupto, ita loquitur: 2. Machab. 12. *πρὸς ἀμαρτίας ἴσχυαι*, pro peccato sacrificium, dicit auctor; sed corruptus locus. Latine corrupte adhuc legitur in templis, in omnibus bibliis, pro peccatis mortuorum.

Pag. 217.)

Immo purgatorium, quod hodie astruunt Romanenses, non modo nihil fundamenti habet in scripturis, sed etiam cum plurimis illarum testimoniis aperte pugnat: sicut Protestantes, aliique etiam viri moderati, abunde demonstrarunt; quos, quia nos brevitatem affectamus, tibi consulendos relinquimus, lector studiose. Sufficiat in praesenti locus maxime insignis & illustris, quo (ut recte Picherellus ait dissert. de Missa pag. 156.) paucis verbis B. Johannes purgatorium ignem extinxit, Apoc. 14. 13. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur; a modo, (etiam dicit spiritus) ut requiescant a laboribus suis, &c.* quem paulo accuratius excutere, & a corruptelis contradicentium vindicare, fortasse nec ingratum nec inutile erit lectoribus. Ad hunc locum respondent multi Romanenses, non esse intelligendum, nisi de martyribus, ita ut mori in Domino sit mori pro Domino, aut propter Domi-

num,

num, quia scilicet saepe praepositio *in* apud Hebraeos idem valet, quod *propter* aut *pro*. In hanc etiam sententiam explicant quidam Protestantium, ut Beza & Piscator, hunc locum, Bellarminus lib. 1. cap. 12. affirmat, loqui beati Joannem de *viris perfectis*, ac praesertim de sanctis martyribus, (eos enim eo loco, inquit, consolari volebat) qui simpliciter moriuntur in Domino, neque aliquid purgandum secum ferunt. Similiter & Estius in h. l. de *viris perfectis* intelligit. Sed expositio haec repugnat communi fere omnium expositorum sententiae, quae est, (ut confitetur Ribera ipse in locum) haec de omnibus iustis dici. Primasius ait: *Illi in Domino dicuntur mori, qui fide vitaeque probabiles, hinc meruerunt evocari.* Aretas caesariensis: *Non omnes praedicat beatos mortuos, sed in Domino morientes: Ἦς νεκρωθέντας τῷ κόσμῳ, ὑπὲρ τὴν νύκτωρ τῷ κυρίῳ Ἰησοῦ ἐν τῷ σώματι περιφέροντας, mortificatos mundo, & mortificationem domini Jesu in corpore circumferentes.* Videatur Gagneus, sententiam veterum Graecorum referens. Beda, citante Ribera: *Gratias tibi ago, Jesu, qui beatificas eos in caelo, qui in te moriuntur in terra. Quanto magis illos, qui & in tua & pro tua fide felices ponunt animas!* Anselmus: *Qui in confessione Domini vera dissolvuntur.* Pag. 218.) Haymo, quem Bellarm. & Ribera citant, sententiam hanc non improbat, dicens: *Qua sententia Beati, qui in domino moriuntur, simpliciter potest*

potest intelligi: Beati mortui seculo, qui in Domino moriuntur, viventes virtutibus, qui scilicet pleni fide & caeteris bonis operibus, de hoc mundo migrant. Haec vox tam ad ipsum Johannem pertinet, quam ad omnes fideles, qui remunerationem sempiternam expectant. Quod superius dicit, Beati, qui in Domino moriuntur, omnibus electis congruit. Vnde Ribera in locum: Quaeritur, inquit, an probanda sit communis illa expositio, de omnibus fidelibus scilicet? Respondeo, veram esse & probandam, eique favere consuetudinem Ecclesiae, quae in officio defunctorum haec verba proponit, quasi de omnibus velit quodammodo intelligi. Causa est, quod esse in Domino, sive esse in Christo, significat intra ejus corpus contineri, non quomodocumque, sed ut viva membra. Salutate eos, qui sunt ex Narcissi domo, qui sunt in Domino. Rom. 16. 11. Salutate Andronicum & Juniam, qui & ante me fuerunt in Christo. v. 7. Rom. 8. 1. Gal. 1. 22. Denique idem est, esse in Domino, & manere in Domino: Joh. 4. v. 5. 15. Manete in me, & ego in vobis. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. Ita etiam in Domino moriuntur, qui usque ad mortem in eo manent, & cum moriuntur, viva Christi membra sunt. Vide 1. Cor. 15. 18. 1. Thes. 4. 14. Est autem & hic sensus ad id, quod apostolus agit, aptissimus, quoniam & priorem illum complectitur, & latius manat, ad omnesque justos pertinet: & quamvis plurimi eo tempore martyrio vitam finient, tamen multi etiam fugati & spoliati a ministris antichristi, & multi in-

com-

commodis affecti, tandem sine martyrio moriuntur in summa sanctitate; de quibus etiam apostolo loquendum fuit, & quos non putandum ab hac beatitudine excludi. Beati mortui, qui in Domino moriuntur, cum eis causa, quae subditur, conveniat: a modo etiam dicit Spiritus, ut requiescant. Haec omnia Ribera, qui alioqui sententiam de solis martyribus hic intellectis maxime probat.

pag. 219.) J. Lorinus in Act. Apostol. cap. 7. 60. ad verbum, *obdormivit*, sic commentatur: *Nihilominus prior expositio loci* (scilicet, Beati mortui, qui in Domino moriuntur, de cujus loci sensu illic agit) *recipienda est de omnibus, scilicet iustis, quam Ecclesia agnoscit, proponens in officio defunctorum illa verba de omnibus iustis; camque sequuntur Andreas caesariensis, Beda, Richardus de S. Victore, (quem tamen Bellarm. affirmat, locum intelligere solum de viris perfectis) Primasius, Ansvvertus, Joachimus abbas, Hugo cardinalis, * Carthusianus, Viegas noster (jesuita scilicet) & alii; nec Haymoni displicet.* Nota hoc obiter contra Bellarminum. Ita locum illum Bernhardus etiam intellexit in *serm. ad milites templi*, cap. 1. & *epist. 98.* Favet quoque *epistola Pauli ad Roman.* cap. 16. 7. 11. & *epistola ad Gal.* cap. 1. 22. aliaque ex utroque testamento exempla colligit noster Sâ in indice scripturae. Ex quibus intelligi potest, quod esse in Domino, vel in Christo, significat, intra corpus ejus contineri, & in ipso manere. Quare in Domino etiam moriuntur & obdormiunt, qui manent in eo usque ad mortem, & in ipsa mor-

* Carthusianus] Nomine Dionysius.

mor-

morte sunt viva ejus membra. *Qui sensus congruit proposito Johannis, quia, etsi sub antichristo plurimi vitam martyrio finituri sint, alii tamen, & jam non pauci, ab ejusdem ministris affecti variis aliis incommodis, morientur sancte, sed sine martyrio: quibus tamen omnibus, & his convenit, quod ibidem subditur, a modo etiam dicit Spiritus. Haec ille, ex Ribera fere omnia verbatim conscribens.*

Ex praedictis liquet, quam absurdum, immo monstrum sermonis novum sit, quod dicit Belarm. lib. 1. cap. 12. circa finem, *fideles aliquos non simpliciter mori in Domino, sed partim in Domino ratione charitatis, quam secum ferunt, partim non in Domino, ratione peccatorum, quae nihilo minus secum ferunt.* Concesso enim, quod multi Patres, & viri quidam hujus seculi doctissimi & moderatissimi, ut probabile, admittunt, (qua de re infra plenius dicemus) *fideles aliquos posse & solere ex hac vita decedere cum peccato aliquo, vel etiam aliquibus levioribus hic non remissis, sed in vita futura post mortem, intercessionem Ecclesiae, non autem poenarum purgatoriarum, a Romanensibus fictarum, toleratione remittendis; Pag. 220.) moriuntur nihilominus & hi simpliciter in domino, nempe in Christi gratia, & in morte viva illius membra sunt, alioqui perpetuis suppliciis mancipandi essent: & beati sunt pro statu tali intermedio, neque poenis illis gravissimis & acerbissimis, quae finguntur in purgatorio, cruciantur, sed statim a morte*

morte & vitae hujus aerumnis ad quietem vel
 requiem coelestem abeunt, majorem interim
 beatitudinis coelestis gradum in die visionis Dei
 clarae & plenae ardentibus votis expetentes, &
 cum plena fiducia ut plurimum expectantes.
 Bellarminum nihil juvat, quod Augustinus lib. 3.
 contra 2. Epistolas Pelagianorum cap. 3. dicat,
justos in hac vita partim esse filios Dei, partim filios
hujus seculi, ac proinde neque mirum videri de-
 bere, quod aliquos dicat ipse mori partim in Do-
 mino, partim non in Domino. Etenim dicit
 quidem Augustinus eo loco, *justos hic esse fili-*
os Dei, & filios seculi, diversa scilicet ratione, qua
 peccant, vel non peccant; sed nusquam dixit,
 eosdem esse partim filios Dei, partim non fili-
 os Dei: siquidem *filii Dei, & non filii Dei*, re-
 pugnantia sunt, ut non possit, qui filius est
 Dei, esse non filius Dei. Diversa autem hic sunt,
filii Dei, filii seculi, sed non repugnantia: at *mo-*
ri in Domino, non mori in Domino, ut loquitur Bel-
 larm. non diversa, sed potius contradicentia sunt.
 Sed respondet Bellarm. ad locum, cum Ansel-
 mo, illud *a modo* non significare a morte unius-
 cujusque, sed *ab extremo judicio*, de quo, inquit,
 toto eo cap. S. Johannes loquitur. Sed quam
 absurde locus hic sic exponitur: Beati, qui in
 Domino moriuntur, quia a modo, nempe a die
 extremi judicii, in aeternum requiescent a labo-
 ribus suis! Ecquis enim & qualis interim erit
 status in Domino morientium, sive animarum
 piarum a corpore separatarum ante finale judici-
 um?

um? Beatusne, an vero miser? Quis non videt, ad idem tempus, praelens scilicet, utrumque referri, sive sic intelligas: *Beati, qui in Domino moriuntur, & a modo beati sunt*: sive per trajectionem τοῦ ἀπαρτι cum nomine *Beati* connectere libet, (vide Bezam in locum) vel etiam, ut facit interpres latinus, cum sequentibus *a modo etiam, &c.* (ubi hoc obiter annotetur, in latinis codicibus, pro *val*, *etiam*, legi jam. Vide Riberam in h. l. & Petr. Picherellum de Missa p. 128. & in appendice de Missa pag. 341. 342.) Pag. 221.) Sensus enim loci, particula *ita*, ut, per trajectionem transposita, sic erit: *ut a modo requiescant a laboribus suis.* Quam particulae hujus transpositionem non raro invenire est in scripturis, videlicet Act. 19. 4. Rom. 11. 31. 2. Cor. 2. 7. & 12. 7. Vide Picherellum l. c. pag. 128. & 341. 342. Quod vero cum verbo *moriuntur* potius construendum sit, indicat quidem etiam e Protestantibus Piscator, qui ad supplicia christianorum tempore antichristi locum restringit, & Chamierus tom. 3. lib. 23. cap. 5. n. 5. arbitratur, non posse cum sequentibus construi, quia particula *val* non soleat subjici primae commatis voci, sed inchoare potius ipsam sententiam. At utrumque infirmum est: *Est enim haec particula*, inquit Beza in hunc locum, *cum maxime necessario connectenda, quoniam alioqui prioribus seculis mortui in hac sententia non comprehenderentur.* Ribera scribit: *Si autem dicamus,* Beati

Beati mortui, qui in Domino moriuntur a modo, cur additum est, a modo, cum semper beatifuerint, qui in Domino moriuntur? Illud etiam Chamerianum infirmum esse, ex sequentibus Riberæ patet. Dicamus ergo, a modo etiam dicit Spiritus, sive, ut legit Primasius, ab hinc etiam Spiritus, nempe quoniam Spiritus sanctus dicit & jubet, ut ex hoc tempore requiescant a laboribus suis, id est, a tempore mortis. Crebræ enim multarum istiusmodi particularum trajectiones in sacris literis occurrunt.

Sed ut de re ipsa dicamus, audiantur veteres, qui τὸ ἀπαύρι a tempore mortis exponunt, confitente Ribera, videlicet Ambrosius, vel illi tribuitur commentarius in Apocal. a modo, nempe a tempore mortis suæ, requiescent sancti a laboribus suis, Haymo, Beda, qui etiam affert illud Psal. 126. vel 127. 2. Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini: Aretas, Illis enim revera exitus a corpore, requies est liberans a laboribus, Ansbertus, &c. Vide Riberam, In quibus verbis, inquit ille, ostenditur, sanctos in hoc mundo nequaquam a laboribus cessaturos, nec requiem illis esse quaerendam. Quousque enim labor consummetur, necesse est, ut ab opere manus intentionis non dissolvantur.

Quod affirmat Bellarminus, toto illo cap. 14. agi de extremo iudicio, falsum esse, probat vel ipsa textus inspectio vers. 8. &c. (Pag. 322.) concedunt etiam Romanenses plurimi: ac proinde huic solutioni non admodum confidens Bellarminus,